

OFFICIALIS CURIÆ ECCLESIASTICÆ

Ad Praxim pro Foro Ecclesiastico, tum Sæculari, tum Regulari, utiliter aptatus, ac Summorum Pontificum Litteris, Oecumenicorum Conciliorum Decretis, Sacrorum Canonum Statutis, necnon recentioribus Sacrarum Congregationum Rescriptis opportunè instructus :

AUCTORE R. P. F.

AUGUSTINO MATTHÆUCCI

LUCENSI, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ S. FRANCISCI, Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato, ac in Romana Curia olim Secretario.

OPUS PRÆLATIS, REGULARIUM SUPERIORIBUS, Parochis, Confessariis, cunctisque Ecclesiasticis, necnon Theologis, Dogmatistis, Canonistis, Jusdicentibus, Causarumque Patronis maxime utile, ac necessarium.



VENETIIS, MDCCXXXIV.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.



BENEVOLO, ET AMICO

LECTORI.



Rodit iterum, Amice Lector, *Officialis Curia* non restricta Regularis nomenclatura, sed ampla sub *Curia Ecclesiastica* prætexta; ad praxim pro utroque foro pluribus auctus, ut tuis voris respondeat: eadem ferè repetit, & majora tibi recenset: singula verò in ampliorem formam redacta, ut uberem rerum Ecclesiasticarum peritiam lecturo magis propinet. Ex authenticis Codicibus, probantque Auctoribus ea fideliter collegi, digessi: & hinc publici juris facio. Non me præterit majora desiderari; at nec, aliis etiam adjectis, singula retulisset; propterea doctos aliorum labores non te tædeat percurrere; quoniam *exercitium lectionis, scientia reperit margaritam*, ut loquitur *text. in cap. Post translationem de renunciat*. Neque inde hæc meas repetitas vigilias supervacuas dixeris, sed opportune paratas. Nam juxta vulgatam paræmiam, *liber librum aperit*. Ideò te eas lectitasse non poenitebit, & in eas sententiam benigniorem prolaturum expecto, ac mentis ingenuæ sensum, & assumpti operis finem ex Augustino plenè percepturum, eodem dicente *lib. 1. de Trinitate, cap. 3. ibi: Neque enim omnia, quæ ab omnibus conscribuntur, in omnium manus veniunt; & fieri potest, ut nonnulli qui hæc nostra etiam intelligere valent, illos planiores non inveniant libros, in istos saltem incidant*. Ideòque utile est, plures à pluribus fieri diverso stylo non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios autem sic. Ubi hæc recogitaveris, non dubito, quin æqui, bonique sis consulturus, susceptasque in tui utilitatem curas, & studium animo plaudente excepturus: Vale: sed te interea monitum volo, quòd ipsa testimonia Augustini, quæ tibi in præsentì occurrent Opel-la, ex novæ editionis Codice per PP. Congregationis S. Mauri digesto fuerunt huc reportata.



OFFICIALIS

CURIAE ECCLESIASTICAE.

CAPUT I.

Officialis quoad Abbatissae Electionem.

SUMMARIUM.

- 1 Praescripta, à Conc. Tridentino servanda in electionibus Abbatissarum.
- 2 Electiones per secreta suffragia sunt faciendae.
- 3 Error, & ignorantia non excusat.
- 4 Aetas necessaria in eligendis.
- 5 Quo loco electiones sint faciendae?
- 6 Abbatissatus triennium non excedit.
- 7 Superior non suffragatur in electione Abbatissae.
- 8 Agitur de intercessione Ordinarii in electione Abbatissarum exemptarum.
- 9 Vota recipiuntur à Superiore Regulari.
- 10 Non adnotantur ab Episcopo, neque à Vicario, aut Cancellario.
- 11 Abbatissa exempta non confirmatur ab Ordinario.
- 12 Quanam Moniales sint ineligibiles?
- 13 An Conversa suffragium habeant in electionibus.
- 14 Quanam Moniales in electionibus Abbatissarum Ordinis S. Clarae vocem alicquam habeant?

IN Abbatissarum electione, sicut & ceterorum Superiorum, ea in praxi sunt observanda, quae Trident. sess. 25. c. 6. de Regul. expressè, ut infra, disponit: in electionibus Official. Cur. Eccl.

Etione Superiorum quorumcumque, &c. & Abbatissarum ac altiarum Praepositarum, quò omnia rectè, & sine ulla fraude fiat in primis Sancta Synodus distictè precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentiam nomina numquam publicentur. Et infra: Si verò contra hujus Decretis constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit. Ex quibus liquet, Concilium ea statuere, quae ad id conducunt, ut electiones sint liberæ. Quippè liberius quisque profert, quod in conscientia sentit, si de secreto non dubitet: & facilius vitantur incommoda, quae è publicatione possent in Monasteriis, propter necessitatem simul vivendi, oriri, ex observatis ab Engel. Colleg. universi juris Can. lib. 1. de Electione, n. 35.

2 Nec secreto Electionis officit assumere duos probatos, prudentesque viros, qui eligentium suffragia audiant, & notent. Quia id non facit, quin electio sit ipsis Monialibus secreta, prout notat etiam Pellizarius de Monialibus, cap. 10. sess. 2. sub sess. 1. q. 10. n. 99. & sunt necessario adhibendi tamquam Scrutatores, ut de electionis validitate sint testes, & sine fraude, ac dolo contigisse sciant.

Quare sive vota Monialium scripto, sive ore tenus Superiori dentur, nullo modo debent ipsarum nomina publicari. Adcò ut, si Scrutatores publicando scrutinium, simul publicent nomina eligentium, vel, si nomina describantur in decreto electionis, electio est nulla, quia non secreta, ut tradit Passerinus de elect. c. 17. quest. 13. n. 11.